DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS WIGMORE,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. PHYSIC. NECNON SOCIET. RER. NATUR. STUDIOS. EDIN. SOCIUS ORDINARIUS.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC V.

VIRO EXIMIO

RICARDO FRANKLIN, ARMIGERO,

JURISCONSULTO,

DE *ASHGROVE*,

IN COMITATU CORCAGIENSI;

BENEVOLENTIA, LITERIS, ACUMINE,

ET URBANITATE,

EGREGIE CONSPICUO;

PAGINAS SEQUENTES

SUMMÆ OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM,

DAT CONSECRATQUE

AUCTOR.

NECNON,

PASCHALI PAOLI DREW, M. D.

DE *ROCKVILL*,

IN COMITATU EODEM,

CHIRURGO PERITISSIMO,

VIRO PROBO,

ET MEDICO ERUDITO,

HOC OPUSCULUM,

SINCERUM

ETSI PEREXIGUUM

AMICITIÆ MONUMENTUM,

OFFERT

GULIELMUS WIGMORE.

Dr. Ogelvie with comps
from the author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

Corpus humanum, tum violentiâ, tum tempore quo durant, morbis diversè afficitur. Dum alii intra paucos dies cursum suum peragunt, nonnulli intra menses totidem non terminantur: in illis præcipuè valet ars medica, neque sub ingressu morbi, plurimis exemplis, sine vitæ discrimine negligi potest, et medicus sæpè arcessitur, quando remedia,

quæ paulò anteà ad morbum debellandum plurimùm valuissent, nunc sine fructu adhibenda sint. In morbo de quo nunc agitur, eventus talis funestus haud rarò accidit; hinc omnium rem medicam facientium apprimè interest hujusce morbi naturam et curationem probè intelligere.

A plerisque nosologis in duas species hic morbus dividitur, quasi inflammationis diversas sedes indicantes; sed ex anatomicorum maximi nominis experientiâ didicimus, nos in plerisque exemplis partem cui insidet inflammatio ex symptomatis designare non posse: et pulmones et pleura sæpè simul afficiuntur, quando si judicium ex perceptionibus ægri, ferremus, illis vel huic inflammationem solummodò insidere arbitraremur.

Definitio ejus generica à Culleno celeberrimo sic accuratè notatur: "Pyrexia, dolor in quadam thoracis parte, respiratio difficilis, tussis." *Pleuritidem* et *Peripneumoniam* hæc definitio complectitur.

HISTORIA MORBI.

Aliquando ab ingressu symptomata violentissima morbum comitantur; dolore acuto in quâdam thoracis parte, statim post causas excitantes applicatas, ægro correpto. In hoc exemplo inspirationem valdè laboriosam et anxiam facit dolor, et respiratio prorsùs intolerabilis redditur, nisi ægro in dorsum vel saltem in latus alterum solummodò decumbente.

Plerumque tussis sicca et molesta ægrum angit, continuòque vexat; aliquando etiam secundâ ab ingressu die, delirium supervenit: expectoratio sæpissimè nulla, haud rarò parca, et sanguine striata; et ob violentiam doloris qui tussi continuo exacerbatur, pervigilium nunquam abest; et nisi idoneis remediis quàm primùm debelletur morbus, mortem instantem sudores glutinosi prænunciant; aliter

suppuratio cum febre hecticâ, in phthisin desitura, supervenit.

Morbus tamen haud sæpè tam cito pede grassatur, et post pyrexiæ indicia solita, horrorem et calorem alternantes, cephalalgiam, sanguinis circuitum citatum, languorem et virium prostrationem, symptomata quibus morbus præcipuè insignitur, occurrunt, nimirùm, dolor in thoracis parte, inspiratione plenâ auctus; pulsus plenus, validus, et celer, digito comprimenti haud facilè cedens, haud rarò tamen ab statu naturali haud multùm discrepans; tussis primò sicca, posteà cum materiâ, quoad consistentiam et colorem variâ, interdum sanguineâ.

Doloris sedes non semper eadem est; aliquando in latere dextro, sæpè in sinistro, et etiam sub sterno haud rarò se prodit. In quibusdam tamen casibus, dolor latiùs sævit, ad scapulam lancinans, inflammationem augescentem demonstrat: multò frequentiùs tamen sextæ vel septimæ costæ lateris affecti,

situm occupat. Sub initium morbi, expectoratio vel nulla, vel admodum parca est, et difficilis; in quibusdam exemplis glutinosa, plerumque tenuis; posteà, morbo decrescente, et ad finem optatum tendente, crassior, abundantior, et facilior evadit.

In variis exemplis, facies plurimùm intumescit, et purpureus fit, propter sanguinis per pulmones transitum, tussi ingravescente, impeditum. Alvus plerumque astricta est, nonnunquam tamen laxa etiam ab initio. Pulsus, qui primò durus, celer, et validus fuerat, morbo mitescente, tardior et mollior evadit.

Præter terminationes inflammationem aliarum partium comitantes, pneumonia, unam sibi propriam agnoscit; sed de aliis primò pauca loquemur.

Harum frequentissima et tutissima *resolutio* est; nam raró aliter faustè terminatur morbus. Plerumque ante diem septimum, haud frequenter post secundam septimanam,

occurrit. In quibusdam exemplis, sic sponte terminari dicitur; et talem eventum consecuturum, diaphoresis amica, et symptomata gradatim cessantia indicant: tamen quoddam erit in memoriâ tenere ab idonea remediorum administratione solummodò expectanda esse; expectoratio copiosa materiei flavæ, aliquando glutinosæ, nonnunquam verò sanguine striatæ, talem terminationem comitatur. Rarissimè sine expectoratione solvitur. Diaphoresin, tametsi resolutionem hujusmodi ferè semper comitantem, oportet confiteamur, resolutionis effectum esse, et non causam, utì nonnulli opinati sunt. In raris exemplis, urina florem lactis, colore et consistentiâ, referre observatur. Adsunt aliquando diarrhœa vel hæmorrhagiæ: harum frequentissimè observantur epistaxis, et ex venis hæmorrhoidalibus sanguinis profluvium: menses etiam sub hoc tempus aliquando prorumpunt.

Suppuratione, ferè lethali, subindè terminatur hic morbus; et, si remediis optimis ad symptomata ejus levanda adhibitis, intra

dies quatuordecim non cesserit, timenda est. Dolor et expectoratio cessantes, pyrexiâ, tussi et dyspnœâ perstantibus, evenisse indicant. Hanc etiam declarant rigores certo tempore, præcipuè sub vespere ingruentes ; gravitatis et caloris sensu, in latere affecto, et decubitus in idem latus facilior. Sudores circa faciem, pectus et extremitates superiores, erumpunt ; vomica in pulmonibus formatur, quæ aliquando pus in cellulas aëreas exonerans, suffocationem instantem inducit, vel in thoracis cavitatem effusus, empyema, cum febre hectica. Empyema, in quibusdam rarissimis tamen exemplis, per operationem *paracentesin* dictam, sanatum fuit : Aliquando pus in tracheam effusum inter spuendum ejicitur, quod tamen pulmonum ulcerationem inducit, in phthisin perniciosam desitura. Vomicam pus in thoracis cavum immisisse, ex fluctuatione quæ nonnunquam inter ægrum succutiendum se prodit, percipi potest. Materiam sic effusam, viam sibi per diaphragma, in cavum abdominis, invenisse dicitur. Rarissimè per pleuram et musculos intercostales iter sibi

aperiens, extrorsùm tendit, et ex lateris apertura emittitur.

In quibusdam casibus, raris utcunque, postquam diu perstiterit malum, donec indurationem vel pulmonum scirrhum induxerit, non desinet. Hinc lento, dolorifico, et immedicabile morbo vexatur æger: partis affectæ gravitate, respiratione difficili et laboriosâ, et in latus affectum decubitûs impatientiâ, comitari fertur.

Si *gangrænæ* symptomata superveniant, morbus pro certo lethalis evasurus est. Gangræna verò magnâ et subitâ virium prostratione, pulsu exili et citato, doloris remissione subitâ, mentis alienatione, cum dejectionibus fœtidis, expectoratione materiæ nigri coloris et mali odoris, et denique sudoribus glutinosis, stipatur.

Præter terminationes jam dictas, vel ad salutem ducentes, aut citò vel seriùs lethiferas, alia est, huic morbo propria, et sic plerumque

desinit quando lethalis evadit; *effusionem* intelligo, vel *sanguinis* vel *seri*, *in pulmonum substantiam cellularem*, et demùm, ut ex hujusce Academiæ egregii Anatomiæ Professoris observationibus constat, in cellulas bronchiales; et sic aëris ad sanguinem transitu occluso, suffocatio inducitur. Quoad indicia ejus, gangrænam plurimùm refert, et magnâ virium vitalium prostratione, et doloris acuti subitâ cessatione: Respiratio admodum difficilis et laboriosa evadit, vultui anxietate maximâ et angore impressis. Ad suffocationem imminentem præcavendam, corpus erectum æger tenere necesse habet; nam decubitus supinus spirandi difficultatem maximè adauget; suffocationis sensus magis magisque premit, donec tandem cellulis aëriis penitùs impletis, animam efflat. Mirum est quàm citò morbus aliquando hoc modo terminatur, medico etiam nil timente, et morbum debellatum credente. Monet cel. GREGORIUS, mutationem tam infaustam, circa morbi diem quartum, interdum evenire.

CAUSÆ REMOTÆ

In *prædisponentes* et *excitantes* dividuntur.

Inter priores recensetur, ætas quâ pneumonia homines frequentissimè invadit; et hoc inter quadragesimum et sexagesimum annum evenire videtur. Sed homines omni ætate adoritur; infantibus tres annos natis nequidem immunibus, senisque septuagenarii semitam aliquando obsidet, dummodò causæ excitantes satis validæ fuerint. Homines habitu robusto et fibris rigidis, sæpiùs quàm laxis præditos, aggreditur; et ob hanc causam viros frequentiùs et violentiùs quàm fœminas, qui prætereà causis excitantibus sæpiùs exponuntur. Diæta animalis ad ingressum ejus proclivitatem auget, et morbum violentiorem reddit; cujus exemplum, in lanio, nuper in Nosocomio Regio Edinensi extitit,

evacuationes potentissimas et sedulissimè adhibitas egente. Vere et hieme maximè grassatur, nam hisce tempestatibus frigus plurimùm viget. Inter causas prædisponentes numerantur etiam status iste pulmonum, thorace nimis angusto inductus; et morbus prægressus, qui recursui maximè favet, ita ut causæ levissimæ, et quæ alioquin non nocuissent, nunc morbum facillimè suscitent.

Inter causas excitantes frequentiores, primum obtinet locum frigus corpori calefacto, vel pulmonibus ipsis, subitò admotum. Morbus etiam excitari potest, omnibus, quæ motum sanguinis accelerant, qualia, exercitatio violens, cursus, saltus, et similia; iis quoque quæ in pulmones ipsos præcipuè agunt, nimirùm tubæ vel conchæ nimis diuturna et continua inflatio, nisus violentus inter loquendum, risus soluti, fumi acres quibus in chemicorum officina occurritur, sæpè non sine vitæ discrimine. Vis externa thoraci illata et tubercula in pulmonibus formata, inflammationi originem præbent, et quamvis haud ignarus

est medicus, evacuationibus phthiseos debilitatem auctum iri, nihilominùs ad inflammationis symptomata levanda, sanguinem mittere oportet. Pneumonia ab aëris statu, frigore non concurrente, aliquando epidemica redditur, et metastasi ab aliis morbis induci fertur, utì ex podagrâ et erysipelate. Aqua frigida, corpore calefacto ingurgitata, pulmonum inflammationi præbere originem dicitur: multò frequentiùs tamen gastritidis causa est.

PROGNOSIS.

Ex variis, sed præcipuè ex symptomatis, deducenda est. Quamvis pneumonia nunquam non sine periculo, sæpenumerò certò lethalis est: Attamen remedia idonea ad faustam terminationem eam sæpiùs perducent. Symptomata inflammationem violentam indicantia, semper timenda sunt. Hinc dolor sævus et acutus, pulsus durus et plenus, præsertim si valdè urgeat dyspnœa, morbum gra-

vissimum indicant. Signum infaustum est, si dolor ad spinam et scapulam sese extendat; hoc enim demonstratur, longè latèque inflammationem regnare. Si ante diem tertiam medicus arcessitur, ad finem optatum morbum plerumque perducet. Si remediis usurpatis, cesserent symptomata; vel si dyspnœa et thoracis dolor remiserint, pulsu eodem tempore molliore et tardiore facto, morbum penè debellatum, vel saltem curationem ejus nos penes esse, prædicere possumus. Sed symptomatum continuatio, aut in pejus mutatio, nos sperare vetant. Inter signa infausta recensetur expectoratio difficilis, omninò suppressa, vel sanguine striata. In prognosi formanda, ægri habitum probè intelligere, nostrum plurimùm refert; nam si multùm debilitetur, evacuationes necessarias tolerare non poterit; et hinc morbus recidivus semper periculosus est. Gravidis et puerperis ex hoc morbo effugium difficillimum promittimus; in illis abortum, in his jam debilitatis majorem infirmitatem, inducit. Doloris cessatio, cum pulsu celeri, et rigoribus vespertinis, suppura-

tionem incepisse demonstrat. Inter indicia maximè periculosa, raro non exitiosum, delirium semper habendum est. E contrario, prognosin faustam proferre liceat, si post remediorum administrationem maximè tempestivam, remittant symptomata, præcipuè dolor qui inspirationem comitatur; si expectoratio magis copiosa, faciliùs reddita, et crassior evaserit; et si post sanguinis missionem, somno quieto et tranquillo fruatur æger. Observare supervacaneum est, quod si gangrænæ, vel in plerisque exemplis, effusionis symptomata superveniant, de ægri vitâ actum est.

DIAGNOSIS.

Quoniam morbi quidem, in quibusdam, pneumoniam mentiantur, medici est, discrimen certum proponere, quo a se invicem dignoscantur.

Peripneumoniam notham maximè refert, quæ

tamen ab pneumonia indiciis certis discriminatur. Seniores peripneumonia notha victimas suas facit, præsertim si victui lautiori et ebrietati dediti sint; desides sunt plerumque, et expectoratione nimiâ vexantur: inter hiemem maximè grassatur, affectionibus catarrhalibus comitata: symptomata ejus multò mitiora sunt, quàm morbi de quo nunc agitur; dolore magis obscuro, vel potiùs ponderis quàm doloris fixi, sensu insignitur. Expectoratio per totum morbi decursum copiosa est, quod in pneumonia non obtinet.

In quibusdam exemplis eam ab *Catarrho* gravi distinguere valdè difficile sit: sed hoc parùm refert, quoniam in catarrho violenti, et pneumonia leni, curatio eadem est. In catarrho, respiratio minùs impeditur, dolore nullo, vel saltem haud sævo, sub inspirationem plenam percepto.

Nullum alium morbum præter *Hepatitidem* refert: in hoc verò dolor in hypochondrio dextro insidet, vel ad summum dextri

vel sinistri humeri tendit; vultus etiam aliquando fuscus est, et nonnihil flavedinis in oculorum tunicâ adnata percipitur: tussis brevis et sicca est: dolor hypochondrii sub pressurâ augetur, et tumor eodem loco haud rarò apparet. In hepatitide, etiam, in latus affectum æger facillimè decumbit.

Doloris sedes, ingestorum vomitus, singultus, et pulsus exilis, *Gastritidem* ab pneumoniâ, et quovis alio morbo, satis discriminant.

METHODUS MEDENDI.

In hujus morbi curatione, inflammationem minuere, et sic effectus periculosos, qui aliter acciderint, prævenire, indicatio primaria est; quæ *sanguinis missione* generali, pro symptomatum violentiâ et ægri viribus, absolvetur: et in plerisque exemplis maximè proderit, si sub initium morbi tantum sanguinis mittetur, quantum æger tolerare poterit; nam sic mul-

tò faciliùs et certiùs quàm parcioris ejus copiæ detractione, sæpiùs repetita, morbus vincetur. Nonnulli venæsectionem primam usquè vel propè ad animi deliquium continuari suadent; sed quanquam haud raró hæc norma conveniat, attamen in omnibus nequaquam usurpanda est: nam alii multò seriùs quàm alii syncopen patiuntur: in quibusdam evacuatio tam copiosa non postulatur; in aliis priùs syncope, quàm satis sanguinis detraxerimus, superveniret; et quamvis tunc temporis, longiùs progredi, periculosum esset, nihilominùs paulò pòst, ad quantitatem necessariam, nullo superveniente deliquio, detractionem secundam facilè tolerabunt. In quovis morbi stadio ante effusionem inceptam, si symptomata urgeant, ad sanguinis missionem confugiendum est, sed quò citiùs adhibeatur, eò majore cum fructu: quoties pectoris dolor, et dyspnœa urgeant, repetanda est, præcipuè si eodem tempore, ut plerumque accidit, pulsus plenus et durus sit. Sanguinis quantitatem, singulis vicibus mittendam, ex symptomatûm violentiâ et viribus ægri,

pendere necesse est; ex quatuordecim ad uncias viginti ferè sufficiet; et si ex incisione amplâ et rivo pleno effluxerit, ad inflammationem debellandam magis proderit, quàm ex orificio parvo, vel guttatim fluens; et quoniam sanguinis detractio minor, illo modo, requiritur, ægri vires minùs læduntur. Inter morbi decursum unciarum quadraginta detractionem, proposito optato inservire plerumque comperiebat SYDENHAMUS; sed in morbo omninò violento, experientiâ celeberrimorum demonstratur, ægrum non modo sine periculo, sed etiam cum fructu, et morbo vix non aliter cedente, sanguinis uncias centum aliquando amisisse: sic casus vix non immedicabiles ad finem optatum perduxit HOMEIUS noster, clinicus solertissimus; et nuper fœminam in Nosocomio Edinensi vidi, præcipente Doctore HAMILTON, venæsectioni, per morbi decursum, ad uncias centum et sexaginta duo subjectam, priusquam ad sanitatem restituta fuit. Tunica coriacea, super sanguinem sese ostendens, pro venæsectionis repetitæ causâ notatur; quoniam verò ad sanguinis detracti su-

perficiem ita mutandam, plurima concurrant, nimirùm vulneris ex quo effunditur magnitudo, vas in quod receptum est, &c. hujus tunicæ absentia nos non deterrere debet, quin sanguinem, si necessarium sit, iterum iterumque mittamus; et secundâ vel tertiâ vice, etsi non in primâ, crusta coriacea sese ostendit: aliquando etiam sanguis fuscus vel subniger apparet. Quanquam verò sanguinis missionem copiosam, symptomatis urgentibus laudamus, ad eam tamen non confugeamus oportet, nisi quoad symptomata postulent, vel ægri vires permittant. Si nimium sanguinis detractum fuerit, propter ægri vires sic debilitatas, si in morbum recideret, curationis spes, si non omninò absumpta, saltem multùm minuta evaserit.

Inter remedia efficacissima, proximum tenent locum, *epispastica*, quæ post sanguinis missionem semper maximè prosunt. Exemplis in quibus venæsectio subitò repetanda haud necessaria videatur, post primam peractam, epispasticum applicetur. Si aliter res

se habeant, meliùs foret donec iterum sanguis mittatur differre. Quàm proximè ad partem affectam semper applicari debet, nam sic derivationem ab inflammationis sede certissimè promovebit.

Sanguinis missio prope partem laborantem, in quibusdam casibus, utenda est; scilicet, quando sanguine è brachio detracto, inflammatio generalis levata est, et ægri vires talem detractionem repetitam, qualis dyspnœam levaret, non permitterent: tunc temporis, per cucurbitulas vel hirudines lateri admotas, sanguis eliceatur.

Quoniam expectoratio copiosa pneumoniæ resolutionem frequentissimè comitatur, ad hanc excretionem promovendam remedia diversa usurpata fuerunt; sed quamdiu perstiterit inflammatio, remedia interna sine commodo usurpantur, et expectoratio morbum venæsectioni respondentem sponte comitatur: attamen secretio ejus, inhalatione vaporum aquæ, solutionis tartritis antimonii dosibus refractis,

vel scillæ maritimæ in mucilagine assumptis, haud rarò adjuvabitur. Alvus, quæ plerumque astricta est, sub morbi initio cathartico leni solvenda est, vel clysmatis emollientibus ducenda.

Postquam venæsectione inflammatio remota fuerit, si æger pervigiliis vexetur, *opium* tutissimè et cum maximo commodo exhibetur, et si tartrite antimonii conjunctum sit, ad diaphoresin promovendam inserviet; et hoc per morbi decursum salutaris invenitur, ideòque si appareat promovenda est, vel remediis lenibus elicienda.

Nuper cum summa laude propositus est *submurias hydrargyri* opio conjunctus; sed utilitas ejus nondum experientiâ sancitur.

Si quando effusionis signa sese ostendant, tunc sanguis non ampliùs mittendus est, et tinctura *digitalis* liberè adhibenda; nam, ut nos certiores facit artis obstetriciæ Professor, cum fructu usurpata fuit, etiam spe omni ali-

ter ademptâ. Nonnulli digitalem multò tempestiviùs exhibent, nempè post primam vel secundam venæsectionem; et propter potentiam ejus, in vi et frequentia pulsûs minuendis, medicamentum ad inflammationem debellandam optatum arbitraremur; nequaquam verò tale, quale sanguinis missioni supersederet. His remediis morbo debellato, a recursu ejus cavendum est, frigoris et cujusvis aliûs causæ quæ morbum reducere possint, evitatione: Et propter exinanitiones repetitas, ægri vires plurimùm exhauriuntur; ad has restituendas, diæta nutriens, lenis tamen et concoctu facilis, utenda est. Exercitium modicum, sub Jove aperto, equitatione viribus ægri permittentibus, ad pulmones roborandos, et corporis totius vires promovendas, maximè proderit.

F I N I S.